IVDICIVM REV^MI. PATRIS MAGISTRI Fr. Bernardi de Cartes & Valdiuiesso, moralis Philosophiæ in Vniuersitate Complutensi Cathedratici, & Doctoris Theologi, Ordinis Cisterciensis.

1 DE Rationibus in hoc libello allegatis, præcipitur mihi ferre sententiam: & quidem in re valde periculosa; quæ Sacræ Magni Parentis Augustini Familiæ non leuem poterit turbationem ingerere, doctior alius ad consilium fuerat eligendus, vt in simili Parens meus Bernardus olim asserebat. Ne autem videar sine causa excusari, dicam quod sentio, ea libertate iudicij, quæ in re adeò graui necessaria videtur, si forte illi, ad quos attinet, audiant, & quiescant.

2 Prima propositio. *Libellus iste à D. Ansaldo de Ansaldis efformatus, doctus, pius, prudens, & maturus, virum aliàs mihi ignotum, reddit notissimum, eumque in Sacris Canonibus apprimè exercitatum, & in Iurisprudentiæ perspicatia oculatissimum esse demonstrat.* Non alia ad hoc indiget libellus probatione, quam se ipso. Quicumque illum sine mentis præiudicio legerit, sibi obuiam habebit veritatem, quæ *Cœli litterarij Sol est, & ipsa per rectos, fractos, & fictos radios, vigilanti, & studiosæ menti allucet*, vt inquit doctissimus Caramuel, *tom.* 2. *Trismegisti Theolog. pag.* 123. Hic verò, tàm clarè perspicitur, tàm neruosè detegitur, vt solum cæcutienti oculo abscondatur, aut noceat.

3 Secunda propositio. *Bulla Alexandrina, quæ incipit, Cum sicut accepimus, sub die* 22. *Iulij* 1690. *subreptionis vitio laborat, & consequentèr nullius est roboris in extensione prætensa Capituli Generalis, & offitiorum.* Probatur. Vitium subreptionis intercedit, dum veritas necessario explicanda reticetur, siue falsum ad rem conferens allegatur. Sic enim diffiniunt Doctores subreptionem, & rescriptum subrepticium, apud Sanchez, lib. 8. de matrimon. disput. 21. Layman, lib. 1. tract. 4. & alios. Atqui in prædicta Bulla obtinenda, veritas necessario explicanda, silentio fuit tradita; siquidem nulla mentio facta est Bullæ Sixtianæ, qua huiusmodi gratiarum obtentiones, & vsus penitus interdicuntur, vt ex ipsa constat in Summario, §. 4. Intercessit igitur vitium subreptionis, & Bulla ipsa subreptitia est.

4 Nec valet dicere in Bulla Alexandrina Sixtianam reuocari illis verbis: *Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationi-*

tionibus Apostolicis, &c. In primis enim similis clausula semper inseritur ex more, quin proinde semper euitetur subreptionis, & obreptionis culpa. Deinde illa clausula generalis non est sufficiens, vt intelligatur reuocata Bulla Sixti V. licet in Bulla Alexandrina dicatur: *Pro plenè, & sufficientèr expressis habendis.* Ratio est, doctrina generalis apud Theologos, & Iuris vtriusque DD. qui loquentes in genere de dispensationibus, & reuocationibus priuilegiorum, supponunt, quasi omninò certum, nec tolli impedimentum ex lege prouenìens, nec reuocari antecedens priuilegium, si in Principe dispensante, aut reuocante præsumitur ignorantia impedimenti, aut priuilegij anterioris, non enim potest tunc præsumi habuisse voluntatem aliquam dispensandi, aut reuocandi. Quod solum patitur exceptionem, quando priuilegium, aut impedimentum, de quibus datur, aut præsumitur ignorantia in Legislatore, se habet per accidens, aut impertinentèr ad dispensationem, vel revocationem; non vero quando ita inter se coniunguntur, vt vnius impedimenti ablatio, aut reuocatio vnius priuilegij, inutilis est, nisi aliud etiam auferatur, vt benè notauit *P. Arriaga, disp. 30. de legib. sect. 6. num. 72.* & absolutè docuerat de dispensatione legis *R. Petrus Lorca, disp. 26. de leg. §. Aduertendum est.* dicens: *Nàm si decipiatur prætensa causa, cuius intuitu dispensat, quæ verè non subest, dispensatio nullius est valoris.* Videtur autem suspectum silentium Bullæ Sixtianæ, cum illa non sit in corpore iuris, & in Principe præsumatur ignorantia iuris priuati, aut facti singularis, vt ex communi docet *Suarez, lib. 8. de leg. cap. 29. num. 2.* Et probat *ex cap. 1. de constitut. in 6.* Ergo præsumitur ignorantia prædicti priuilegij in Sanctissimo fœlic. recordat. Alexandro VIII. & nequit dici reuocatum per subsequens rescriptum.

5 Possumus alijs doctrinis nostram illustrare. Primo quidem, quia in generali dispositione testantis, non includi eos, qui specialitèr præsumuntur exclusi, tradit *Roman. consil. 438. num. 6. Iasson in leg. Doli clausula, num. 1.* & fauet *Glos. in leg. Si quis, ff. ad Trebell.* Similitèr non comprehendi in generali statutorum confirmatione, ea quæ sunt specialitèr abrogata, docet *Surdus, consil. 58. num. 16. lib. 1.* Item seruum odiosum, & infensum domino, non includi in generali manumissione seruorum, docent Doctores, quia illum testator moribundus excluderet, si de illo specialitèr interrogaretur, *L. Lutius Titius, ff. de legat. 2. leg. Testamento Centurio, ff. de manumis. testament. Alexand. consil. 231. num. 4. lib. 6. Molina de primogen. lib. 1. cap. 9. num. 12. Socin. cons. 37. num. 6. lib. 3. & latissimè Surd. decis. 41 l. Cohæredi, §. Qui pater, ff. de vulgar.* Idem igitur in nostro casu ex

arita-

paritate rationis deducendum: nàm si Pontifex resciuisset, & interrogaretur de Constitutione Sixtiana, prohibente huiusmodi prorogationes, & petitiones, atque illarum vsum, vel omninò negasset, vel nimis retardaretur, ne postulata concederet, neque aliud potest rationabilitèr præsumi.

6 Iterum illustratur hoc fundamentum Sixtus V. omnibus personis, etiam Cardinalitia dignitate fulgentibus, & Cardinali Protectori Ordinis Augustiniani prohibuit postulare extensiones, & prorogationes istas, & illis obtentis vti, quauis ex causa, etiam vrgentissima. Voluit igitur huic negotio omnem prorsus viam præcludere, neque ab aliquo in futurum attentari: namque Eminentissimos DD. Cardinales comprehendere in præfata Constitutione, arguit rem esse magni momenti, cum certum sit prædictos DD. non comprehendi in Constitutionibus pœnalibus, aut regulis Cancellariæ, aut suspensionis, & interdicti sententijs, neque in Canone de non habendis pluribus beneficijs, nisi specialitèr nominentur: de quo *Antoninus Diana, part. 5. tract. 2. resol. 16. & 17. & part. 7. tract. 5. resolut. 7. & part. 2. tract. 2. resolut. 46. & part. 5. tract. 2 resolut. 41.* Oportebat igitur certiorem facere Sanctissimum Alexandrum VIII. de constitutione Sixtiana, & credendum est prudentèr, quod agnita adeò vrgenti clausula, minimè concederet, quamuis benignissimus Princeps, prætensam prorogationem officiorum, & Capituli Generalis.

7 Denique clausulam illam generalem in Bulla Alexandr. VIII. non fauere prædictæ prorogationi, deduco etiam ex doctrina, quam eruditè demonstrat *Virginius Albiset Bisontinus, in Murenulis, sect. 1. §. 4. de clausula, Non obstantibus, num. 8.* vbi cum *Ascanio Tamburino, tom. 1. de iur. Abbat. disp. 18. quæst. 16. & Panormitan. in cap. Ex conquæstione, de restit. spol.* docet, priuilegia multa concessa Ordini Benedictino non posse reuocari clausulis generalibus, & probat *ex cap. Romana, 1. & cap. Cum ordinem, de rescript.* Quod extendit glossa ad alios, qui simile habeant priuilegium, *ex cap. Ea parte, de decimis.* Et circa doctrinam istam generalem, videndus omninò *Mantica de tacitis, & ambiguis conuentionib. lib. 4. tit. 9. num. 27.* Horum autem ratio præcipua est, quia priuilegia illa sunt iura particularia, quæ si specialitèr non exprimantur, censentur ignorari à Legislatore, vt supra dicebamus cum *P. Suar. & commun. DD. num. 4.* Cum igitur eadem ratio omninò militet in præsenti, prædicta prorogatio ab Alexandro VIII. facta, nullius erit valoris.

8 Vltima propositio. *R R. PP. MM. Sacri Augustiniani Ordinis te.. tur in conscientia Sedem Apostolicam appellare, & reme-*

dium

diam contra prædictam subreptionem exposcere. Infertur ex dictis, siquidem stante nullitate prætensæ prorogationis, nulla manet conscientiæ securitas, cum R. Prior Generalis, reuerà talis non sit, expleto sexennio: vnde quidquid ab ipso deinceps, vt à Superiore dimanet, nullam habet firmitatem, relinqueturque totus Ordo Acephalus, & sine legitimo Prælato, cui malo omnibus modis obviare, ipsa postulant iura naturæ. At vero nullitatem ex vitio subreptionis, satis, superque deduximus, præcipuè cum rescripta hoc vitio laborantia, ipso iure sint irrita, si gratiosa sint, vt ex communi obseruat *Menochius, lib. 2. de arbitrar. cent. 3. casu 201. num. 10. & seqq.* Et sumitur ex *cap. final. de filijs Presbyt. in 6. cap. Si autem, cap. Plerumque, de rescript.* Et docent *Sanchez dict. lib. 8. de matrimon. disp. 21. num. 3. Koninch. tom. 2. disput. 35. dub. 6. num. 56. Layman, lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 17. Bassæus, verb. Rescriptum, num. 2.* Rescriptum igitur Alexandri VIII. ipso iure nullum est, vtpotè purè gratiosum: proindeque res gratissima Summo Pontifici erit, si ab ipso remedium postuletur, *ex cap. Si quando, de rescript.* ibi: *Patientèr sustinebimus, si non feceris, quod praua insinuatione nobis suggestum est.* Præsertim, quia Sedes Apostolica iustissimè vult Superiorum iura inferioribus iniuriam non adducere, *ex cap. In singulis, de statu Monachor. Sic volumus* (inquit Innocentius III.) *Superiorum iura seruare, vt nolimus inferiorum iniurias sustinere.*

9 Neque Reuerendissimo Priori Generali hoc erit graue, aut iniuriosum, cum ipse in suis litteris, quæ in Summario apponuntur, verba illa pulcherrima, & modestia refertissima promat: *Exitum oficij nostri, cum emenso laborioso quinquenio spectaremus, cessuri mallem dignioribus humeris, &c.* Cumque prorogatio honoris sit oneris extensio, quàm quisque prudens, & ambitionis expers, libentissimè recusabit, muneris ipsius Reuerendissimi Generalis erit ad propriam, & subditorum quietem lucrifaciendam, scrupulosque radicitus auellendos, Sedem Apostolicam de his consulere, & quidquid ab ipsa statutum fuerit, humilitèr, & religiosè obseruare. Sic sentio, salvo, &c. In hoc Parentis Bernardi Vniuersitatis Complutensis Collegio, die 19. Augusti 1691.

Mag. Fratr. Bernardus de Cartes & Valdiuiesso,
Philosophiæ Moralis in Vniuers. Cathedratic.